

republica christiana concedat , qui præclaris majorum suorum virtute ac sanguine partis titulis fruatur ? Ex his curæ , ac molestiæ Venetorum ingeminabantur ; Hispanam classem adhuc Messanæ detinéri , non literis , non nuntiis Austriacum commoveri ; recentis belli inter Reges initia suboriri , intra christianaë reipublicæ viscera virus perniciem , ni cito excinderetur , paritum : fœdus jam solutum ac fractum videri : insolecentes hostes , quid in innoxios populos , in maritimas Reipublicæ ditiones crudele ac nefarium non ausuros ?

Hoc rerum statu , ne quidquam , quod a prudentia peti auxiliū poffet , relinquetur , per dispositos equos tabellarii in Galliam atque Hispaniam cum literis ad Reipublicæ oratores mittuntur : Reges adeant , simultatum semina evel- lant : nihil exitiale magis christianaë reipublicæ accidere posse , confirment , quam si importuno hoc tempore summi Reges invicem digradientur , telaque barbarorum inficienda sanguine in Christianorum pectora convertant . Quid com- muni hosti optabilius ? quid , prostratis maritimis Turcarum viribus , farciendis utilius ? Si eos religionis , si boni publi- ci ratio ac cura tangit , irarum impetus comprimant , sedent animos , pacem publicam ne turbent , ne a veteri concordia discedant . Eodem tempore , Romam ac Viennam missis literis , Gregorio ac Maximiliano Senatus suadet , exurgens inter Reges incendium , in communem perniciem eruptu- rum , omni officii genere extinguere conentur . Pontifex Episcopos binos Antonium Mariam Salviatum ad Carolum , Nicolaum Ormanetum ad Philippum mittit . Lecti quoque a Senatu legati , Joannes Michaelius , Antonius Theopolus , quorum alter in Galliam , alter in Hispaniam proficiscatur . Interea , de recuperata Valentiana allatis nuntiis , Superantius acrius discessum urget . Tunc palam Austriaci consilia emanare : Aequum esse , ait , dum cuncta bellum portendunt , mi- litaribusque apparatus perfrepunt , Philippum suis pri- mum , deinde aliorum commodis consulere , neque ob id fœderi derogatum arbitrari : proinde nisi nova ex Hispania mandata babeat , non abiturum . Ad ea Superantius : Nihil Hispanicis rebus pertimescendum sibi videri ; Valen-

Senatus &
Galliarum
& Hispa-
niarum Re-
gibus officia

Antonius
Maria Sal-
viatus , &
Nicolaus
Ormane-
tus a Pont.
in Galliam
& Hispa-
niam mit-
tuntur .

Joannes
Michaelius ,
& Anto-
nius
Theopolus
in Galliam
& Hispa-
niam ora-
tores .